

Ta cum tormentis cogat manus omnipotentis  
Nota Dei veri magnaalia voce fateri.

Tunc rex delusus solitos se convertit ad usus  
Sævitæ, quando nil egit pollicitando,  
Quem magis accendit, quo spes frustrata pependit.  
Et fervens ira juveni dat verbera dira,  
Quem laniare parat, plusquam reliquos laniarat.  
Hunc ferro, flammis, scutica, sartagine, lammis,

A Fustibus et loris lacerat vis tota furoris.  
Sic torti juvenis cedit caro mortua pœnis.  
Spiritus ad lælum festinat currere cœtum.  
In grege fraterno rutilans splendore euperno  
Munere quo primus medii ditantur et unus.  
Addita prostratis genitrix micat ultima natis,  
Tanto splendidior, quanto certamine major.

## VERSUS DE SANCTO LAURENTIO.

### MONITUM.

Ex codice ms. quingentorum circiter annorum olim monasterii S. Amandi in Pabula seu Elnonensi, nunc regio, num. 274. — Licet hoc poema in manuscripto Sancti Mariani Autissiodorensis tribuatur Hildeberto, tamen illud ut opus Marbodi illi assignamus, tum quia in manuscripto Elnonensi-Regio immediate subsequitur *Passionem sancti Victoris*, nominatim et expresse Marbodo tributum, tum quia in editione Redonensi anni 1524 *Operum Marbodi* reperitur. Hujus autem poematis Marbodum auctorem agnoscit Sigebertus, de scriptoribus ecclesiasticis, cap. 158, eumque secuti sunt Trithemius, Possevinus, Vossius, Pithæus et alii.

A Decio tentus, gladioque furente peremptus  
Martyribus mistus fulgebat in æthere Sixtus  
Cum quo levitæ duo nacti præmia vitæ  
Laude Creatoris pensabant damna cruoris,  
Cum flets et lætus his gaudia dans sibi fletus  
Quærit sorte pari Laurentius ense necari.  
Cumque pati properet, dilata pericula mœret,  
Et se ceu vinctum gemit a tribus esse relictum,  
Non tamen ut victus erat a tribus ille relictus,  
Plus quibus urdebat, quos morte præire volebat;  
Sed tanquam juvenis velut ætas congrua pœnis  
Ut certaturus melius, majorque futurus  
Dixerat huic fletu, secumque pati cupienti,  
Vox præsaga senis cujus parebat habentis:  
Desine te, fili charissime, pendere vili;  
Quod modo non pateris, quia post triduum patieris,  
Et lucra pœnarum pensabunt damna morarum.  
1521 Quid senibus jungi, quid tentas munere fungi  
Ætatis fessæ? Juvenis, majora capesse;  
Præmia grandævi sperent certamine levi,  
Captet proventus pœnas tolerando juventas.  
A gladio metas jam debilis impetret ætas;  
1 Lentis robustos fornax probat ignibus ustos,  
Fortis velle viri non est semel enas feriri,  
Et non est fortis consortem quærere 2 mortis.  
[3 Turbæ jungatur, si cedere quis meditatur.  
Non parat hic dorsum qui vult pugnare seorsum.  
4 Bella, fide fortis, gravioris suscipe mortis.]  
Ante quidem vado, sed materiam tibi trado  
Majoris pœnæ; post pœnam, sedis amœnæ.

B Ecce tuæ curæ consortem non habituram  
Tradit in expensum mea delegatio censum.  
Quod tibi commendo fac pauperibus tribuendo,  
Ut melius nosti, cupido ne serviat hosti.  
Largiri propera, ne si dilatio sera  
Spargere cunctatur, non sparsis rex potiatur.  
Hæc post verba senis, caplus vinctusque catenis  
Est præsentatus Decio levita beatus  
Vel monstraturus thesauros vel 5 moriturus,  
Quem sibi præsentem, sed non sua verba 6 timentem  
Nunc terrore gravi Cæsar, nunc ore suavi  
Flectere conatur, dum tali voce profatur:  
Res damnatorum patuerunt crimina quorum  
Esse mei juris cognoscit et incola ruris;  
Nam quem sacrilegum damnat sententia legum.  
C Et sua jura pari fæco jubet annumerari.  
Sic mea prorsus erunt Sixti quæcunque fuerunt,  
Quem lex damnavit, gladiusque meus jugulavit.  
Cur 7 mea laude caret, quia res mihi publica patet?  
Sed quia cum sit ita, non sunt tamen hæc repetita.  
Hactenus ignosco 8 non reddita, nunc ea posco.  
Si reddis vives, charus mihi munere dives,  
Nunc censum totum non est mihi sumere votum,  
Pro 9 quasi servatis partem tibi defero gratis,  
Si repetita negas, et cognita jura relegas,  
Vix est pœna mori. Sub crimine jam graviori  
10 Amplior est talis transgressio quam capitalis;  
Contemptum regis cumulat deaspectio legis.  
Ad facinus duplex non sufficit ultio simplex,  
11 Ultra quam vellem cogor punire rebellem.

1 Elnon., *Mentis*. 2 Elnon., *sortis*. 3 Tres hi versus desunt in Elnon. 4 Hic versus deest in Redon. editione. 5 Eln., *periturus*. 6 Elnon., *tremementem*. 7 Eln., *Cur non lite caret*. 8 Eln., *nunc, sed contra sensum*. 9 Eln., *Rebus servati partem tibi confero*. 10 Eln., *Amptius*. 11 Hi quinque versus desunt in edit. Redonensi.



Si crimen furis solum, ferit astra securis ;  
Qui scelus adnectat, hunc amplior ultio flectat.  
Ergo peccati sit pœna duplex duplicati,  
Quod his peccatur pœnis et morte luatur.

Ille fide fortis flagransque cupidine mortis  
Pro nihilo reputans terrores <sup>12</sup>, verba relutans  
Non <sup>13</sup> retulit verbum, regem spernendo superbum  
Irritare volens hunc, et sibi parcere nolens.  
Tunc datus insano prætori Valeriano,  
**1522** Quas non frustretur pœnas tolerare jubetur,  
Ni velit incensum dare die, et reddere censum.  
Reddere sed censum, vel ad idola flectere sensum  
Istud nolebat, quia Christi sacra colebat ;  
Istud si cuperet <sup>14</sup>, jam non erat unde valeret,  
Jussa sequendo senis cum cuncta dedisset egenis.

Hyppolitus tandem curam suscepit eandem  
Jussu prætoris <sup>15</sup>. Prætoris jure minoris  
Carcere qui clausum, tanquam capitale quid ausum  
Vixit cum multis pœnali <sup>16</sup> morte sepultis.  
Nox et carcer ei requies, splendorque diei.  
Hic quemdam cæcum residentem in carcere secum,  
Qui per ploratus nimios erat exoculatus,  
Nomine Lucillum, docuisset cum prius illum  
Corda Dei veri sacra credere <sup>17</sup>, vera fateri  
Baptismo lavit, visumque sibi reparavit,  
Per lavacri flumen dans interius quoque lumen ;  
Sic alios idem cæcos curavit ibidem,  
Qui fama facti fuerant hinc <sup>18</sup> inde cæcti.

Hic motus signis, verbis quoque martyre dignis  
Cœperat Hyppolitus gentiles <sup>19</sup> ponere ritus  
Et fidei veræ culturam velle tenere.  
Mox sacramentis doctrinæ <sup>20</sup> cuncta sequentis  
Plenius instructus, solito subit ordine fluctus  
Divini fontis qui <sup>21</sup> lavit crimina sontis,  
In quo mundatus lacrymas dedit atque precatus  
Ut sua more pari domus esset digna lavari.  
Ergo suus lotus grex et baptisate lotus.  
Deposuerunt decem per sacra <sup>22</sup> pisacula fæcem  
Terque simul terni propriam vitisque paterni  
Postmodo quos tentos, et Cæsaris ense cruentos  
Hyppolito junctos decoravit laurea cunctos.

Jussio prætoris venit illico plena furoris  
Discipulum Sixti sibi præcipiens cito sisti,  
Quem sic affatur : Decius tibi sæva minuatur,  
Gazas occultas nisi <sup>23</sup> prodas, quas tibi multas  
Esse frequens testis probat indicibus manifestis.  
Has igitur <sup>24</sup> peteris, et dis dare thura juberis.  
<sup>25</sup> Quæ facias duo sunt ; neutrum gravat, utraque  
[proaunt.

**A** His si parueris, vitæque bonisque fruere ;  
Credere meis verbis, et dulcia præfer acerbis  
Et dignis credi credendo libenter obedi,  
Ne malis iræ reus imperialis obire  
<sup>26</sup> Primum vexatus per inauditos cruciatus,  
Quam felix dici merito legalis amici.

Sanctus ad ista refert : Qui mitibus aspera præfert  
Mente caret plane, rem spernit, captat inane.  
Mortis acerba pati, quam vivere sorte beati  
Si me malle putes, pro falsis vera refutes.  
Nunc de thesauris tua quid loquar audiat auris.

[<sup>27</sup> Cogit vera labor proferre, nec inficiabor  
**1523** Ulterius, quando non eruo inficiando.  
Gazas occultas, ignoto pondere fultas]  
Quas mihi servavi, quos multo fenore pavi,  
**B** Has a te <sup>28</sup> precor, a te nunc quoque regie [sic ms.]  
[precor.

Si posset, fieri cuperem mihi parta tueri,  
Jacturæ talis cunctatio sit venialis,  
His opibus temere quis possit velle carere ?  
Sed tua majestas, et Cæsaris alta potestas  
Rerum jacturæ præponderat utraque jure ;  
Præterea geminam vitæ censuque ruinam  
Velle subire, furor ; si damnis unius uror,  
Amissa vita, nequeo retinere cupita ;  
At retinens vitam, levius rem perdo cupitam.  
Expedit alterutrum mihi quam retinere [f. derelin-  
[quare] neutrum ;

Sed quia suspensus de tanti corpore census  
Hoc diversorum sparsi per <sup>29</sup> plura locorum.  
Est ad aduandum <sup>30</sup> triduum tempus mihi dandum.

**C** Intellecta parum responsio fallit avarum,  
Nec venit ad verum deceptus imagine rerum.  
Gaudet præfectus celerique cupidine vectus  
Hæc Decio recitat ; spes hunc quoque frivola ditet.  
At Christi miles hos esse probans sibi viles  
Quærit mendicos per sepes, compita, vicos,  
Surdos et mutos, cæcos <sup>31</sup> membrisque solutos,  
Quorum prægrandem turbam cito nactus, eandem  
Prævious ipse gregis <sup>32</sup> ducit ad prætoris regis.  
Rex exspectabat, gremiumque manumque parabat,  
Stipabatque latus sibi prætor et ipse paratus  
His saccos plenos sperantibus obdit egenos.  
Sic dilatatum jejunæ pestis hiatum,  
Et vacuos morsus eludit, taliter orsus :

Hi sunt thesauri potiores montibus auri ;  
**D** His cedunt plane pretiosæ vellera lanæ.

<sup>33</sup> His lapides chari non possunt equiparari ;  
Hos nequeunt fures subducere, rodere muros.

<sup>12</sup> Elnon., *blanda*. Ita et edit. Red. <sup>13</sup> Edit. Red. : *Non referens verbum, spremit retinendo superbum*. <sup>14</sup> Eln. et edit., *quod*, <sup>15</sup> Elnonensis habet *juris prætoris minoris*. <sup>16</sup> Elnon., *nocte*. <sup>17</sup> Eln., *voce*. <sup>18</sup> Eln., *lege*. <sup>19</sup> Eln. et edit., *spernere*. <sup>20</sup> Eln., *certa*. <sup>21</sup> Eln., *purgat*. <sup>22</sup> Eln., *piamina*. <sup>23</sup> Eln., *pendis*, <sup>24</sup> Edit. Red. : *Has igitur pœnas et dis*. Melius *ms. peteris*. <sup>25</sup> *Quæ facias*, etc. Hic vero et sequens desunt in edit. Red. <sup>26</sup> *Primum*, etc. Hic versus deest in ms. S. Mariani. <sup>27</sup> Tres hi versus desunt in Elnonensi. <sup>28</sup> Eln., *Has a rege petor a te quoque regie precor*. <sup>29</sup> Eln., *per tula*. <sup>30</sup> Eln., *tempus tridui mihi*. <sup>31</sup> Eln. sic exprimit duos versus :

*Intellecta parum deceptus imagine rerum,  
Gaudet præfectus*, etc.

<sup>32</sup> Eln., *membris resolutos*, <sup>33</sup> Eln., <sup>34</sup> Hic versus deest in Elnonensi.



Quod templis præbeas, istis potius dare debes,  
 Quod Deus in cœlis servat tutela fidelis.  
 Ut <sup>35</sup> dedit hanc vocem, regem quatit ira ferocem.  
 Ut dedit hoc verbum, præses fremit ore superbo.  
 Ergone sic visus tibi rex occasio risus,  
 Et de me scenam meditaris crimine plenam ?  
 Taliter ostendis quod jussa mei levipendis ;  
 Claret quod mimus, quod ludibrium tibi sumus.  
 Sed quid cunctaris ? Per plurima quid variaris ?  
 Præsto sunt aræ ; dans thura deos venerare.

Ille Deo plenus, vultuque nitente serenus  
<sup>36</sup> Respondit tutus, mortisque timore solutus,  
 Idola digna coli deceptus credere noli,  
 Materiem ligni <sup>37</sup> quam scis quod subjacet igni,  
 Artificisve manum venerari crede profanum.  
 Effugies æris non plus decet ut venereris ;  
 Ipsum te fallis dum das incensa metallis.  
<sup>38</sup> Nulla creaturæ cuiquam datur hostia juro.  
 Hoc sibi servavit soli qui cuncta creavit.

**1524** Non petit hic pecoris tantum, cadaverque  
 [cruoris ;  
 Et cibus et potus est a deitate [f. divinitate] re-  
 [motus ;

Cujus culturæ modus est incedere pure,  
 Ejus habere fidem, qui permanet unus et idem.  
 Cum spe non segni flagrare cupidine regni  
 Quod postquam veniet Deus omnibus omnia fiet.

Audit ut hæc, diram rex impius exit in iram  
<sup>39</sup> More furens Daci sic intonat ore minaci :  
 Fer tormenta cito, lictor, properansque serito.  
<sup>40</sup> Tærea blasphemum cogat spirare supremum.  
 Mæx denudatus loris est dilaceratus,  
 Sed vis tormenti dabat ejus gaudia menti.  
 Dextera delinquit tua, nec bene percutit, inquit,  
 Fesso lictori, quidquid potes adde furori,  
 Non me compelles deponere, sæve satelles,  
 Per data flagra foris hominis decus interioris.

Rex indignatus jubet omnimodos cruciatus  
 Protinus afferri, plumbatas, vincula ferri,  
 Cardus, uncinos, fustes, unguesque ferinos  
 Craticulam, laminas, baculos, et ad ultima flammæ.  
 His ut tormentis vel fleclere cor metuentis,  
 Vel si despiceret, corpus laniare valeret.  
 Hæc tibi, Laurenti, non sacrificare volenti,  
 Inquit, debentur ; si sacrificare, remouentur.

At contra sanctus : Furor absit, ait, mihi tantus,  
 Ut cultum spernam Domini, legemque paternam,

(92) Sc. animalium immolatorum.

**A** Et non sensuris accendam munera thuris,  
 Vel me dedecorem pecudum fundendo cruorem.  
 Qui stat in arce poli regi dabo munera soli ;  
 Quod dico, soli, frustra pervertere noli.  
 Lucet sole polus, sed non regit omnia solus.  
 Ne credas stellæ libamina (92) me dare velle.  
 Ergo minus multo dabo cuilibet <sup>41</sup> extra sepulto ;  
 At vero minime naturæ motibus unæ,  
 Ut lapides, lignum, quæ me mihi subdere dignum,  
 Non sibi subdere me, quia non sunt talia <sup>42</sup> postmæ.  
 Ergo Deo vero dare munera congrua quæro,  
 Non suis [id est, porci] omentum, non intestina bi-

[dentum,  
 Non bovis arvinam, non thus, carnemve caprinam,  
 Sed carnem propriam quo gratior hostia fiam.

**B** De pecudum tabo quid gratum sacrificabo ?  
 Victima sunt orei, qui mactant intima porci.  
 Sanguine nullus ovis se mundat vulnere quovis,  
 Dans bovis arvinam mentis capit ipse ruinarum ;  
 Dans sua membra Deo, nequit ille carere <sup>43</sup> triumpho,  
 Vivet in æternum gestans diadema supernum,  
 Per breve tormentum lucratus grande talentum.  
 Nam rex colorum merces est magna suorum.

Hæc mecum reputans, et præmia tanta salutans,  
 Omne genus pœnæ, grave sit licet, æstimo lenæ.  
 Qui moriturus eram, cur non ita vivere quæram ?  
**1525** Prudenter cupimus quidquid vitare nequi-

[mus.  
<sup>44</sup> Quis quod pœna foret sine lucro ferre putaret ?  
 Expedit ergo mori mihi pro vita meliori,  
 Debita quam sceleri tormenta, litando, mereri.

**C** Talia dum fatur, dum talia fans cruciatur,  
 Et sic lætatur patiens, quasi non patiat  
 Laminas ardentes, fustesque cruore madentes  
 Dum, ne <sup>45</sup> patiat sibi forte timendo, precatur  
 Ut se dissolvat Deus, et sibi præmia solvat.  
 Auribus astantum regis, simul et flagra dantum  
 Vox illapsa sonat ; major te pœna coronat ;  
 Hac quam nunc sentis vincat constantia mentis  
<sup>46</sup> Omnia quæ restant, quæ plus tibi plurima præ-

[stant.  
 Cæsaris impia mens, et pectoris æstibus amens  
 Vocem cœlestem pro vero martyre testem  
 Dæmonis esse putans, et in <sup>47</sup> antrum candida mu-

[tans :  
 Nil ita, dixit, agis, cedit versutia plagis ;  
**D** Per magicas artes licet hos illosque coarctes ;

<sup>35</sup> Hic versus deest in Elnon, et sequens sic habet :

*Hoc dicto verbo, præses fremit ore superbo.*

<sup>36</sup> Respondit, etc. Hic versus deest in Elnonensi. <sup>37</sup> Eln., quæ digne subjacet. <sup>38</sup> Hic versus adest in Elnonensi et deest Marianensi. <sup>39</sup> Edit. Red. habet :

*Impatiensque moræ tumido se præcipit ore.*

*Fer tormenta, etc.*

<sup>40</sup> Eln., Cur ea blasphemum, etc. <sup>41</sup> Eln., extra sepulto. <sup>42</sup> Eln. et edit. Red., præ ms. <sup>43</sup> Eln. et edit., tropæo. <sup>44</sup> Eln. et edit. Red.

*Quis quid pœna foret non ad lucra ferre labore ?*

<sup>45</sup> Eln., parcatur. <sup>46</sup> Eln., Cætera quæ. <sup>47</sup> Eln., in atrum.

## IN PASSIONEM S. VICTORIS PROLOGUS MARBODI ANDEGAVENSIS.

Cum studeat dæmon sanotis inferre <sup>99</sup> polemon,  
 Nec jam lætetur, nisi fallat et insidietur,  
 Est opus instandi, ne qualibet arte nefandi  
 Mens decepta cadat per quam sibi gaudis tradat.  
 Perditus et tristis semper vacat artibus istis  
 Pugnat et instigat quærens ubi spicula figat  
 Nam satis ignitas plures habet iste sagittas,  
 Quas quia non cernit stultus, quasi somnia spernit.  
 Spernitur, et spreto moritur pars ultima letbo,  
 Dumque dolet vitam, dolet hanc non <sup>99</sup> esse sagittam.  
 Si feri posset spondens quia jam bene nosset,  
 Condoloit frustra, quia polluit ultima lustra.  
 Quam bene te, Christe, martyr cognoverit iste  
 Mors probat; ignoti non est hæc passio voti.  
 Si non vovisset, non in Victore fuisset  
 Tam celebris virtus, quam tortor abhorruit hirtus.  
 Vincere Victorem palmæ designat honorem;  
 Nec foret hic Victor, si posset vincere lictor.  
 Prologus explendus, quia mors gravis aggrediendus.  
 Ergo meis gestis non detrahat æmula pestis.  
 Tu, Deus, hanc arce, si quid minus invero, parce.

<sup>99</sup> Turon., *Palæmon.* <sup>99</sup> Turon., *non nosse.*

## PASSIO SANCTI VICTORIS MARTYRIS.

Cum furor insani regnasset Maximiani,  
 Neo minus insanus collega Diocletianus,  
 Ut par majestas, ut par in utroque potestas,  
 Sic fuit ad funus sanctorum spiritus unus.  
 Unus et ad pœnas animus laxabat habenas.  
 Et velut ad quosque suadebant templa deosque,  
 Sic titulum Christi prohibebant omnibus isti.  
 1520 Tantus erat terror, tantus jam creverat error,  
 Ut fidei cultum nusquam pateretur inultum.  
 Alter enim princeps, pars cujus nemo deinceps  
 Hanc habuit curam cladem post libare futuram.  
 Massiliæ scribit: Nolens libare peribit;  
<sup>91</sup> Mandat et hoc turbis, magis autem civibus urbis,  
 Ut bene perquirant qui sunt qui in numina (93  
 [spirant.  
 Ne lateat, scribit, quia si valet ipsemet ibit.  
 Adveniens ergo, postponens cætera tergo,  
 Præcipit assisti dictos de nomine Christi.  
 Siatitur iste foro de quo dictare laboro;  
 Nescit adhuc unus, quid dicat uterque tribunus:  
 Cur sic, Victor, habes? aiunt, contemnere debes

A Leges Romanas, et res inducere vanas?  
 Nunquid non nosti quod regnum debeat hosti?  
 Vel quæ dona feret qui nostris legibus hæret?  
 Insuper ut duret tua jam devotio curet.  
 Multum delinquis, Victor, concedo quod inquis.  
 Nec sumus ignari sic nos debere precari,  
 Victor, sit præses, si non responsio deses,  
 Cur piger existis coram præsentibus istis,  
 Hic ubi sunt aræ nobiscum sacrificare?  
 Sic enim diras sedares principis iras,  
 Nec foret incertum regem tibi jure miserum.  
 Victor ad hæc sanctus: Quantos sæpissime plan-  
 [ctus  
 Propter eos planxi, quantisque doloribus auxili  
 Cor, recolens illos, quos sic potest esse pusillos,  
 Ut miseris fanis, fanis? magis imo profanis  
 B Subjiciant mentes per abusum dona ferentes.  
 Nunquid ad hoc numen si vis intendere lumen,  
 Cum videas ipsum quod habes pro numine gypsum?  
 Esse Deum credes qui per te venit in ædes?  
 Nonne recordaris quia per te pausat in aris?

(93) F. qui numina spernant.

<sup>91</sup> Tur., *Scribit.*